

lum est provisum remedium, docet ipsos reprobari reprobatione exclusiva a gloria ex peccato primi parentis, ut ex parte Adami se tenet, quia contractio illius peccati, ut irremissibilis in isto ex illo peccato Adam derivatur: imo omnis contractio peccati originalis, seu denegatio gratiæ justificantis, ex intentione, et affectu puniendi peccatum Adami procedere videtur, ut docet Alarcon, ubi supra c. v, concl. i.

XII. Denique, alii comminiscuntur quamdam pœnam debitam peccato originali, quasi dispositionem quamdam, propter quam permittitur aliquis cadere in peccatum, et non perseverare, quam pœnam, et dispositionem dicunt manere in reprobis, et non in prædestinatis, et propter illam dicunt reprobari, sed radicaliter propter peccatum originale, quod est causa, et radix talis dispositionis, seu pœnæ. Quem modum refert Bagnez ubi supra inter modos explicandi sententiam Augustini et est quartus inter illos. Ad quem modum reducitur illa sententia quam refert Gonzalez ubi supra, eorum qui dicebant Deum prævidisse in reprobis aliquam malam dispositionem, seu carentiam dispositionis bonæ, quam non præcivit prædestinatis, et propterea istos elegit, alios reliquit. Quam etiam sententiam refert p. Suarez lib. v de reprobatione, c. v, et tribuit Henrico, Gabrieli, et Ocham. Quod vero aliqui dixerunt non ipsum peccatum originale, sed effectus aliqui qui ex eo relinquuntur, et sunt vulnera naturæ, esse causam reprobationis, omnino insulsum est: hæc enim vulnera non sunt demerita, nec habent rationem culpæ, et præterea omnibus tam prædestinatis quam reprobis communes sunt.

XIII. De sententiis p. Suarez, et Vasquez jam diximus articulo præcedenti. Nam Vasquez omnino ne-

gat dari in Deo reprobationem efficacem exclusivam a gloria, quæ non supponat indignitatem ipsius reprobi, atque adeo habere causam motivam ex parte ipsius docet, scilicet peccatum in quo vita finitur; reprobationem vero, seu rejectionem a gratia, docet non habere causam in reprobo specialem pertinentem ad reprobationem, licet in nobis possit habere causam generalem ex peccato primi parentis in quo omnem bonam cogitationem amisimus; Suarez vero distinguit reprobationem negativam, et positivam, et illam priorem constituit in illa noli-tione dandi gloriam aliquibus, quando alios elegit, cujus negativæ reprobationis nullam dari causam ex parte reprobi docet, sed ad Dei reduci voluntatem. Positivam vero constituit in actu punitivo per æternam damnationem, et hujus docet dari causam in reprobo, non quidem solum peccatum originale, sed in his qui propter illud damnantur, peccatum originale ut non remissum, in aliis peccatum actuale finale. Ita habet lib. v de reprobatione, c. v et vi.

RESOLUTIO.

XIV. Dico primo: Loquendo de reprobatione absolute, et secundum se (qualis in Angelis executæ est) dicit in sui prima intentione, et voluntate exclusionem a gloria ante prævisa peccata tamquam causam motivam, sed solum habet pro motivo aliquid ex parte Dei, scilicet ejus gloriam in ostensione justitiæ, et ex parte creaturæ supponit seu connotat esse sibi indebitum beneficium. Et hæc reprobatio seu exclusio licet vocari possit negativa ex parte objecti, seu effectus, quem ponit in creatura, vere tamen ex parte Dei est actus positivus et ad posi-

tivam ejus providentiam spectat. Hæc conclusio est sine dubio S. Thomæ in locis præcedenti articulo allegatis, et præcipue ponderari potest locus ille ex primo ad Annibaldum, dist. xli, quæstione unica, art. iii, ubi totam conclusionem manifeste docet: postquam enim in duobus argumentis, sed contra probaverat quod non datur in nobis causa reprobationis, quia nec datur prædestinationis, et quia voluntatis divinæ non est assignare causam, explicat totum hoc in corpore articuli hoc modo: « Respondeo dicendum, quod voluntati divinæ de salute hominum duplex voluntas opponi videtur: scilicet voluntas de contradictorio, secundum quod vult aliquem non salvare, et voluntas de contrario, secundum quod vult damnare aliquem. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ. Non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo. Sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito inferatur, quia finis damnationis est Dei justitia. Detrimentum autem damnationis ex parte nostra, non solum sunt opera mala hujus, vel illius, sed etiam naturæ infectio. Reprobatio ergo, quæ utramque prædictarum voluntatum includit, habet causam quasi finem, divinam justitiam, habet vero quasi rationem voliti, non de necessitate præscientiam operationum, sed ad hoc sufficit præscientia imperfectionis naturæ. Et per hoc patet solutio ad objecta. Nam primæ rationes concludunt quod reprobatio habeat pro ratione voliti præscientiam operationum, vel cujuscumque ex quo juste damnatio sequatur. Secundæ vero concludunt quod opera præscita non sint causa reprobationis principalis, sed magis

divina justitia, quæ est quasi finis, et concernit debitum ex parte damnandi. » Hæc D. Thomas. Ubi intelligentia mentis ejus in hac difficultate de causa reprobationis habetur ex illa distinctione duplicis voluntatis circa salutem hominum, alteram per modum contradictorii, scilicet non velle salutem seu non applicare causas salutis huic personæ, applicando aliis, alteram per modum contrarii, scilicet volendo istum punire, et damnare propter illa in quæ incurrit semel derelictus a Deo. Et prima voluntas est ex sola voluntate divina ante omne motivum ex parte creaturæ. Secunda autem voluntas supponit aliquid ex parte creaturæ, scilicet rationem meriti, vel demeriti. Atque ita voluntas divina semper incipit a gratuitis, vel negatione gratuitorum, et potest inde terminari in ea quæ sunt justitiæ, imo Deus nunquam utitur forma justitiæ, nisi supponendo tamquam fundamentum aliquid gratuito collatum, ut recte observat S. Thomas supra qu. xxi, art. xiv. Et prior illa voluntas dicitur etiam reprobatio a D. Thoma, quia versatur circa exclusionem ab ultimo fine, quia vult aliquem non salvare. Et est efficax, quia in re sortitur effectum: revera enim quando de facto quosdam eligit ad gloriam, denegare aliis est denegatio efficax. Et est positiva, non positiva punitiva, sed positiva exclusiva a gratuito beneficio ex parte finis, quatenus non applicat Deus voluntatem, nec apponit cor suum erga illos, quod D. Thomas explicat dicendo quod vult non salvare, et ly velle positivum est, et inde originatur providentia circa deficientes a fine ultimo, quam dari fatetur D. Thomas hic artic. iii et iii contra gentil. capite ultimo. Quomodo autem exclusio ista tunc intelligatur, statim explicabimus.

XV. Eamdem doctrinam late tra-

dit s. doctor in hac quæstione artic. v ad iii, ubi totam rationem prædestinationis aliquorum, et reprobationis aliorum reducit ad ipsam divinam bonitatem, quam Deus per misericordiam voluit repræsentare in prædestinatis, et per justitiam in reprobis. « Et hæc, inquit, est causa quare quosdam eligit, quosdam reprobat, » eamque dicit assignari ab Apostolo Roman. ix, dicente: « Volens Deus ostendere iram, id est, vindictam justitiæ, sustinuit, id est, permisit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. » Et hoc ibi late ostendit, ita ut dubitari non possit esse sententiam D. Thomæ quod reprobatio, non ut punitio, sed ut denegatio electionis opposita electioni prædestinatorum, et ut tenet se ex parte intentionis circa finem denegando illum, seu non applicando se ad inducendum in illum, non habet rationem ex parte demeritorum reprobis, sed ex sola voluntate divina volente ostendere suam justitiam in his, sicut misericordiam in illis.

XVI. Eadem mens D. Thomæ elicitur ex traditis ab ipso in hac quæstione, art. iii, ubi in corpore articuli reprobationem docet esse partem providentiæ, respectu illorum qui a fine vitæ æternæ deficiunt, et solutione ad primum docet, quod in quantum non vult aliquibus vitam æternam, dicitur eos habere odio, vel reprobare; quæ utique reprobatio non est sola exclusio a gratia, sed est exclusio ab ipsa vita æterna, ut est finis ultimus, gratia vero non est finis ultimus. Rursus de ista reprobatione dicit, quod includit voluntatem permittendi cadere in culpam et inferendi damnationis pœnam. Quæ voluntates sunt effectus talis reprobationis, quia ut se explicat solutione ad secundum: « Reprobatio non

est causa ejus quod est in præsentī, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis a Deo; est tamen causa ejus quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ, sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobat, et a gratia deseritur: » ergo secundum D. Thomam reprobatio antecedit permissionem seu derelictionem gratiæ, quod utique fit in hac vita, licet non sit causa ejus quod inde sequitur ex libero arbitrio, scilicet culpæ: ergo antequam consideretur culpa in libero arbitrio, datur reprobatio ex parte Dei, scilicet illa quæ est causa derelictionis, et desertionis gratiæ, quæ utique nondum est reprobatio punitiva, sed negatio rei gratuitæ, seu quædam voluntatis divinæ separatio, et aversio non apponendi cor, nec procedendi ad eligendum istos cum aliis, ut mox ex Cajetano declarabimus.

XVII. Licet loca ista D. Thomæ adeo sint expressa, respondent tamen aliqui non urgere loquendo de istis duobus ultimis locis. Et occurrunt primo loco ex articulo quinto hujus quæstionis ad tertium, quod loquitur D. Thomas de hominibus ut de facto sunt maculati peccato originali, quorum aliquos prædestinat ex pura misericordia, alios reprobat, seu damnat ex justitia propter peccatum originale, non ex sola sua voluntate excludit a gloria, licet inscrutabile sit judicium Dei, cur ex eadem massa perditionis istum prædestinet, alium reprobet. Secundo loco ex articulo tertio ejusdem quæstionis occurrunt, quod reprobatio negativa præsupponit aliquod peccatum, et cum D. Thomas dicit quod includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et non intelligit in primam culpam, seu primam permissionem, seu ulteriorem, et inferendi damnationis pœnam pro culpa, hoc est negat Deus auxilium congruum in pœnam pec-

cati præcedentis, et potest esse ex affectu puniendi pœna æterna illud prius peccatum, non affectu efficaci, sed inefficaci. Sic glossant hi respondentes.

XVIII. Cæterum extra mentem D. Thomæ vagantur repositiones istæ, et curte, atque constrictæ tam amplam doctrinam complectuntur. Do primæ solutioni, quod loquatur in illo loco D. Thomas de hominibus descendantibus ab Adam, sed nullatenus quadrat ejus doctrinæ ita generaliter traditæ de omni reprobatione hominum, quod velit omnem reprobationem eorum esse ex justitia propter peccatum originale, quod reprobatio supponit, cum in multis peccatum originale remissum sit, et non possit tale peccatum esse motivum, et ratio reprobationis negativæ excludendi a gloria, vel etiam denegandi gratiam ut peccet peccato actuali, nisi velimus mentem D. Thomæ in illam absurditatem, et cæcitatem conjicere, ut velit peccatum remissum, esse rationem alicujus damnationis, et punitiois æternæ, quæ solum propter peccatum non remissum inferitur, quo nihil absurdius dici potest, nec a mente D. Thomæ extorrius. Unde ipse in illo loco, nec leviter insinuat quod propter peccatum originale quosdam reprobat, seu non eligit, sed totum oppositum, cum dicit loquens de reprobatione comparativa: « Sed quare hos elegit, illos reprobat, non habet rationem nisi divinam voluntatem. Unde Augustinus dicit super Joannem: Quare istum trahat, illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare. » Si ergo dicit non habere rationem, nisi divinam voluntatem, et exceptio firmat regulam in contrarium, nonne est contra mentem D. Thomæ? Assignat aliam rationem præter divinam voluntatem, scilicet peccatum originale loquendo de ho-

minibus descendantibus ex Adam.

XIX. Secunda autem solutio est omnino inepta; tum ex comparatione D. Thomæ inter prædestinationem, et reprobationem: dicit enim quod: « Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi culpam, et inferendi damnationis pœnam. » Si ergo ly permittendi culpam, glossatur non de omni culpa, etiam prima, sed de ulteriori ad primam, pari modo glossari potest quod prædestinatio non includit voluntatem dandi primam gratiam, sed sequentem, quod est omnino absurdum. Non est autem major ratio quod illa glossa applicetur reprobationi, quam prædestinationi. Quod enim postea dicit D. Thomas ad secundum quod: « Reprobatio non est causa culpæ, prædestinatio autem est causa gratiæ, » nihil obstat, quia nullius culpæ nec primæ, nec posterioris Deus est causa, derelictionis autem, seu permissionis Deum esse causam, ibi expresse dicit S. Thomas, sed loquitur de omni derelictione sine restrictione, sicut de omni gratia pro prædestinatione. Tum secundo est falsa ista solutio, quia D. Thomas tradit doctrinam generalem de omni reprobatione; contingit autem sæpe quod propter primum, et unicum peccatum quis damnatur, aut propter solum originale, ut parvuli, aut post remissum originale, propter primum peccatum actuale, ut aliqui adulti, aut simpliciter propter primum peccatum, ut Angeli. In his ergo quomodo salvatur doctrina D. Thomæ, quod reprobatio includit voluntatem permittendi cadere in culpam, si id glossatur non de prima, sed de ulteriori culpa? Et tamen aliqui reprobandur non propter ulteriorem culpam, sed propter primam.

XX. Fundamentum hujus conclu-

sionis non potest non esse immobile apud Thomistas, et eos qui sentiunt electionem ad gloriam dari in Deo ante electionem ad gratiam, quam supra disputatione octava late confirmavimus: sicut e contra, qui sentiunt præcedere electionem ad gratiam ante electionem ad gloriam consequenter debent dicere, quod reprobatio exclusiva a gloria sequatur semper post exclusionem, seu denegationem gratiæ; atque adeo post peccatum prævisum. Illam ergo sententiam de præcedentia electionis ad gloriam in ordine intentionis supra firmavimus. Ex illa vero sequi per necessariam consequentiam, quod etiam reprobatio exclusiva a gloria præcedat permissionem, et prævisionem peccati, manifestissimum est. Nam Deus quando in ordine intentionis eligit ad gloriam efficaciter, solum aliquos eligit determinate, non omnes ex tota massa hominum, aut ex tota multitudine Angelorum: ergo oportet quod in illa electione efficaci inclusiva aliquorum, et non omnium, sit etiam efficax separatio, seu aversio voluntatis divinæ ab aliis. Patet consequentia, quia illa electio efficax non est absoluta, sed comparativa, scilicet unius præ alio, et relinquendo aliquos: ergo voluntas divina non se applicat ad illos in ratione volendi eis vitam æternam, atque adeo efficaciter illos relinquit, quia de facto non eligit, nondum quidem puniendo, et damnando, sed non applicando illis suam voluntatem ad dandum ea per quæ possint evadere damnationem, ut recte Cajetanus observat in hac quæstione, art. v, §. Circa hanc partem, et in calce articuli. Hæc autem voluntas est reprobativa, quia est exclusiva a gloria, seu potius non applicativa voluntatis divinæ ad dandum eis, et eligendum ad gloriam, ad quam eligit alios. Et hæc volun-

tas antecedit peccata, ut motivum, et ut rationem illius exclusionis, quia antecedit exclusionem a gratia, seu permissionem peccati, quæ est negatio gratiæ. Quod in Angelis manifestum est, cum nullum in eis præcesserit peccatum, sed gratia in omnibus: præcessit autem quorundam electio. Peccatum vero futurum non poterat operari ut prævisum, quia hoc ipsum ex permissione dependebat, et permissio ex aversione, et separatione voluntatis futura. Ex quo ergo motivo erat illa separatio post quorundam electionem? Homines vero qui in peccatis concipiuntur, non ita ita apparet quomodo in eis non præcesserit peccatum, ut dans motivum illi reprobationi. Sed quia fuit æquale in omnibus, et in multis remissum est de facto, qui tamen reprobatii sunt, videtur Deum non fuisse usum hoc motivo ad reprobandum unum præ alio, licet illo uti ut potuerit si vellet, de quo sequenti conclusione. Est etiam hæc voluntas efficax, et positiva, quia efficaciter Deus eligit hos determinate præ aliis, et apponit erga illos cor suum in dando gloriam: ergo efficaciter, id est, de facto, relinquit alios, et separat seu avertit ab illis cor, unde sequitur quod postea etiam avertat in deneganda gratia, ut statim dicemus. Nec potest dici, quod Deus eligit efficaciter istos, sed circa alios suspendit rejectionem quousque videat peccatum; et sic pro tunc nec eligit, nec rejicit. Hoc, inquam, dici non potest, quia facta electione eorum qui sunt ad vitam, reliqui non manent eligibiles, quia si eligi deberent, utique cum aliis electis includerentur, quia electorum omnium una est electio in Christo; ergo non manet suspensum ita ut adhuc eligi possint. Si autem eligi non possunt, utique rejecti manent. Tam efficax ergo est ista aver-

sio seu rejectio, sicut illa electio, utraque enim de facto fit, et in re effectum habet. Est denique positiva, quia ex parte voluntatis divinæ non se habet mere suspensive circa illos, sed determinate non vult illos eligere sicut creaturas possibles determinate non vult producere. Nec solum se habet circa illos, sicut si relinquerentur in puris naturalibus, quia supponuntur omnes elevati ad finem supernaturalem, et voluntate antecedenti inefficaci vult Deus illos omnes salvare, et proponit finem ac media ad id sufficientia, multique ea procurat, etiam specialissima, sicut Judæ dedit apostolatum, Luciferi maximam gratiam inter Angelos, et tamen eos reprobat: ergo non se habet illa aversio divinæ voluntatis, et illud non apponere cor, sicut si relinqueret homines illos in puris naturalibus, sed sicut si elevatos, et ordinatos ad gloriam non curet eligere quando alios efficaciter eligit. Et exinde incipit providentia divina circa deficientes ab illo fine, quæ ex tali divinæ voluntatis separatione, et non appositione cordis circa electionem ad gloriam descendit ad non apponendum cor, ut det illis gratiam, vel si dat, non det perseverantiam, unde sibi relictii peccant, et super peccatum cadit justitia punitiva, in qua terminatur reprobatio puniendo, quæ incæpit a gratuitis, non applicando voluntatem circa beneficium illud indebitum. Et sic reprobatio terminative est punitio, et fit secundum justitiam, reprobatio initiative est circa gratuita, non apponendo cor, nec applicando voluntatem in eligendis istis, quando alios solum eligit, et istos relinquit. Unde non contrariantur voluntas denegandi gloriam ut beneficium indebitum in ordine intentionis et finis, et voluntas privandi illa propter peccatum, et in vi damnationis in executione;

quia prior illa voluntas non respicit indignitatem personæ rejiciendæ, sed meram et solam voluntatem dantis, quæ ob sui libertatem applicat suam voluntatem ad dandum beneficium indebitum, vel denegandum, quia non tenetur applicare omnibus voluntatem suam æqualiter, non propter peccata, aut demerita personarum, sed propter suam libertatem et fines quod sibi proponit. Voluntas autem posterior non respicit applicationem, vel separationem suæ voluntatis erga istos vel illos, sed respicit id quod ipsi commiserunt ex suo libero arbitrio deserto a gratia, scilicet peccatum, et super illud cadit voluntas puniens, et privans regno in executione.

XXI. Dices: Esto Deus negative se habeat circa electionem aliquorum ad gloriam, quando alios eligit comparative ad istos, et quoad negandam illis gloriæ electionem sit illa separatio divinæ voluntatis efficax, id est, de facto non eligens: tamen ex hoc non sequitur, quod sit efficax ut ex hoc fine non eligendi sequatur infallibiliter voluntas permittendi peccatum, et denegandi gratiam: hoc enim esset Deum ita crude se gerere erga illos miseros, quos non eligit, ut velit se obligare, empeñarse, ad hoc ut labantur in peccatum, ut voluntas sua reprobativa impleatur, quod certe valde abhorret a pietate divina, quam ita mirifice nobis prædicat Scriptura. Sufficit ergo voluntas, seu affectus inefficax, et antecedens puniendi eos qui non reliquerint peccata sua, ut exinde sequatur illa permissio, non vero ex illa efficaci rejectione, et reprobatione a gloria.

Respondetur illa rejectione negativa a gloria sequi infallibiliter Deum non curare de procurandis mediis efficacibus ad consecutionem gloriæ, etsi multa sufficientia non negent: illa enim voluntas non eligen-